



Dissertatio chirurgico medica inauguralis de scirrho et carcinomate

<https://hdl.handle.net/1874/291137>

16
DISSERTATIO CHIRURGICO MEDICA
INAUGURALIS
DE
SCIRRHO ET CARCINOMATE.

QUAM,
AUSPICE DEO OPTIMO MAXIMO

Ex Auctoritate Rectoris Magnifici,

JOANNIS DAVIDIS HAHN,

Philos. & Med. Doct. Philosophiæ, Physices Experimen-
talis & Astronomiæ Professoris Ordinarii,

NEC NON

Amplissimi SENATUS ACADEMICI *consensu, atque*
Nobilissimæ FACULTATIS MEDICÆ *decreto,*

PRO GRADU DOCTORATUS,


Summisque in MEDICINA honoribus &
privilegiis ritè ac legitimè consequendis,

Eruditorum Examini submittit

JOANNES CHRYSOSTOMUS GRAM,

ROTTERODAMENSIS.

Ad diem 28 Julii, H. L. 2. S.



TRAJECTI AD RHENUM,
EX OFFICINA IOANNIS BROEDELET,
ACADEMIAE TYPOGRAPHI. MDCCLV.

HENRICO G. R. A. M., APUD
ROTTERODAMENSES CHIRURGO EXPERTIS-
SIMO, PATRI SUO BILEGISIMO, OMNI,
QUO FIDEM DECEAT, AMORE, OSSEQUIO,
ET REVERENTIA, AETERNUM COLENDO.

DOCTISSIMO

D. JOANNI OOSTERDYK SCHACHT
A. I. M. MEDICINAE ET PHILOSOPHIAE DOC-
TORI, CHIRURGO EXPERTISSIMO, MEDIC-
INAE THEORETICAE ET PRACTICAE PRO-
FESSORI, ORIGINARIO

D. EVERARDO JACOBO VAN WACHTEN-
DORFF, MEDICINAE DOCTORI, PRACTICO
FELICISSIMO, MEDICINAE THEORETICAE ET
CHIMICAE PROFESSORI, ORIGINARIO, PROMO-
TORI MED. HONORATISSIMO

D. JACOBO GISEBERTO WOERTMAN,
MEDICINAE DOCTORI, ANATOMIAE ET CHI-
RURGICAE PROFESSORI, ORIGINARIO, PRAEC-
TORI ERUDITISSIMO

UT ET

VIRO INTEGERRIMO

H E N R I C O G R A M, APUD
ROTTERODAMENSES CHIRURGO EXPERTIS-
SIMO, PATRI SUO DILECTISSIMO, OMNI,
QUO FILIUM DECET, AMORE, OBSEQUIO,
ET REVERENTIA, ÆTERNUM COLENDO.

N E C N O N

VIRIS CLARISSIMIS, SPECTATISSIMIS,
DOCTISSIMIS

D. JOANNI OOSTERDYK SCHAGT,
A. L. M. MEDICINÆ ET PHILOSOPHIÆ DOC-
TORI, PRACTICO EXPERTISSIMO, MEDI-
CINÆ THEORETICÆ ET PRACTICÆ PRO-
FESSORI ORDINARIO.

D. EVERARDO JACOBO VAN WACHEN-
DORFF, MEDICINÆ DOCTORI, PRACTICO
FELICISSIMO, MEDICINÆ, BOTANICES ET
CHEMIÆ PROFESSORI ORDINARIO, PROMO-
TORI MEO HONORATISSIMO.

D. JACOBO GISBERTO WOERTMAN,
MEDICINÆ DOCTORI, ANATOMES ET CHI-
RURGIÆ PROFESSORI ORDINARIO, PRAC-
TICO ERUDITISSIMO.

U T E T

VIRIS VIGILANTISSIMIS, EXPERTISSIMIS


D. JOANNI FRANCISCO VAN LEEMPOEL,
MEDICINÆ DOCTORI, PRAXIN MEDICAM
APUD, ROTTERODAMENSES FELICISSIMO
CUM SUCCESSU EXERCENTI, AMICO SUO FA-
MILIARISSIMO, AD ULTIMUM VITÆ HA-
LITUM AMANDO ET COLENDO.

D. JACOBO VAN ROSENDAEL,
MEDICINÆ DOCTORI PERITISSIMO APUD
ULTRAJECTENSES PRACTICO FELICISSIMO,
PATRONO SUO BENIGNISSIMO, OB SINGU-
LAREM EXHIBITAM BENEVOLENTIAM Æ-
TERNA VENERATIONE PROSEQUENDO.

*Hanc Dissertationem Inauguralem
offert ac dedicat*

JOANN. CHRYSOSTOMUS GRAM.

AUCTOR.



DISSERTATIO CHIRURGICO MEDICA
INAUGURALIS

DE

SCIRRHO ET CARCINOMATE.

§. I.



Quum laudabili Academix instituto cautum sit, ne cui Medici honores concedantur & titulus, antequam studiorum aliquod specimen edat, diu hæsi animi dubius, quam mihi pro dissertatione inaugurali eligerem materiem, quum nihil, quod millies ab aliis dictum non sit, a me proferri posse, abunde cognoscerem: Tandem determinarunt me visi mihi aliquoties tristissimi Scirrhi & Carcinomatis effectus, ut ea in chartam conjicerem, quæ scriptorum lectio, & viva vox celeberrimorum hujus Athenæi Professorum, tum & inprimis, ob summa in me collata beneficia æternum venerandi Patris mei, septimo jam lustro Chirurgiam Rotterodami satis feliciter exercentis, me docuerunt observata.

§. II. De loco, quem occupant Scirrhi in corpore humano, maxime dissentiunt Medici; unde quoque non parva
A di-

2 DISSERTATIO CHIRURGICO MEDICA

diversitas orta fuit in variis dirissimi toties hujus mali definitionibus. Antiquissimi quidem Medicinæ scriptores Scirrhum generaliter dixerunt *Tumorem remitentem & doloris expertem*, ut patet ex Galeni Comm. 4. in lib. de rat. victus in morb. ac. Hos autem tumores Hippocrates nomine *οἰδῆματων* complectitur, ut habet Galenus Comm. 1. in lib. 6. Epid. & Comm. ad aph. 34. lib. 4. Scirrhi etenim vox apud Hippocratem non occurrit, quamvis sparsim in operibus suis totam fere morbi historiam dederit, ut patet ex eruditissimo tractatu Cl. Grashuis de Scirrho & Carcinomate, qui integro capite veterum de Scirrho & Carcinomate sententias collegit.

§. III. Scirrhos genere duplices esse, quosdam ex sanguinis face & Melancholia, quosdam etiam ex crassa pituita, quorum generatio interdum etiam statim initio fit; interdum ex metastasi, ab inflammatione, erysipelate aut oedemate adferit Galenus lib. de tumorib. præter Nat. & lib. 2. Cap. 5. ad Glauc. Scirrhum distinguit in exquisitum, qui omni sensu caret, & non exquisitum, qui quidem sine dolore est, non tamen prorsus ne si sensu. Hinc qui Galenum secuti sunt Medici definierunt Scirrhum, tumorem esse præter Naturam ab humore melancholico durum sine ullo doloris sensu. „ Cum
 „ enim quatuor genera sint tumorum simplicium a totidem
 „ humoribus pariter simplicibus prodeuntia, ut sanguis phleg-
 „ monem, pituita oedema, flava bilis erysipelas parit: ita
 „ Scirrhus ab humore melancholico originem ducere dicen-
 „ dus est, neque humoris species in ejus definitione omit-
 „ tenda est, quod non minima pars sit ejus substantiæ. Gor-
 „ raus in definit. Medicis.

§. IV. Carcinomatis mentionem variis locis facit Hippocrates, uti videri potest ex supra laudato tractatu Cl. Grashuis Cap. 1. §. iv. & Foessii oeconomia Hippocratis. Quamvis in Genere ejus descriptionem non exhibeat, illud tamen distinguit in occultum & apertum. Occultum dicebatur, quod non erat exulceratum, vel ut alii volunt, quod in interioribus corporis hærebat, V. G. utero, intestinis &c. ut habet Ga-

Galenus Comm. in Aph. 38. lib. 6. Recentiores vero & Cl. van Swieten Comm. in Aph. 494. Boerh dicunt, ubi pruritus, dolor, calor in hoc tumore percipiuntur, non amplius Scirrhum vocari posse, sed Cancrum, quamdiu pellibus suis inclusus est, occultum; his vero ruptis apertum; hancque adserit fuisse Hippocratis sententiam.

Veteres autem omnes Galenum secuti Carcinoma vel Cancrum, quibus vocibus promiscue utebantur, ut patet ex Foesii Oeconom. Hipp. & Gorræi definit. Med. definierunt, tumorem malignum, inæqualem, durum, oris prætumidis, venisque atro & crasso sanguine turgentibus instructum: unde a similitudine, quod tumor Canceri corpus, venæ vero ejusdem pedes repræsentent, nominis originem cum Galeno derivant, vel uti Aetius libro ultimo desumit ex Archigene & Leonida uti Canceri asperi & duri, quæ suis forcipibus ceperint, haud facile dimittunt, sic quoque tumores hosce duros & asperos ægreque tractabiles, ubi semel radices egerint, non nisi difficillime a partibus posse avelli.

§. V. Sedem horum malorum statuunt Antiqui Hepar, Lienem, Uterum, Intestina, Mammæ mulierum, Fauces, Os, Faciem, Nares, Aures, Labra; Oculos, Glandulas, Musculorum tendines, caput, collum, humeros, alas & inguina.

§. VI. Recentiorum alii scirrhum definiunt. *Tumorem durum indolentem, qui oritur in parte glandulosa; Alii huic adjungunt, vel in parte hujus naturam habente*, uti Cl. Platnerus in Instit. Chirurg. §. 254. Alii vero definitioni simul causam addunt ut Cl. Heister instit. Chirurg. p. 1. Lib. iv. Cap. xvi. „Appellari autem scirrhus solet istiusmodi tumor corporis durus, qui absque omni fere doloris sensu est; fereque semper ab inspissato crasso, atque indurato in glandulis sanguine suboritur; licet etiam in aliis partibus, & cum primis in pinguedine oriri possit.” Unde patet non tantum illas partes, quæ Antiquis designatæ sunt, Recentioribus nonnumquam Schirrhosas haberi, sed & vix dari locum in corpore, quem non aliquando hoc malum occupa-

4 DISSERTATIO CHIRURGICO MEDICA

vit. Verum illos tumores duros & indolentes, qui extra glandulas in aliis corporis partibus toties reperiuntur, tumores scirrhocides potius vocandos censet Cl. van Swieten Com. in Aph. 484. Nec desunt quoque, qui varios scirrhus statuendos putant, sic Munnicks in Chirurgia lib. 1. cap. xi. scirrhum dividit (1) in Primarium, verum, Exquisitum & Symptomaticum, Illegitimum, Spurium; (2) in Purum & Impurum &c. Alii alias hic denique distinctiones adferunt.

§. VII. Quo evitentur incommoda ex indeterminata & nimis latâ tam veterum quam Recentiorum Scirrhi significatione, ejus definitionem dedit Cl. Grashuis, quâ eum distinguere adferit ab omni tumore duro in musculo, tendine vel alia quavis corporis parte exorto: Ait enim lib. cit. Cap. 7. §. 2. „ Scirrhus est tumor durus, solidus, glandulosus, „ a parvo principio lente increfcens, difficile resolvable, „ sua natura in Cancrum facile degenerans”. Additque §. iv. Hunc solas glandulas, tum conglobatas, tum conglomeratas occupare, eoque dignosci ab omni aliarum partium tumore. Subjungit §. 9. & seq. Scirrhi & Cancri sedem esse in membrana cellulosa glandularum, ea scilicet, quæ inter vasorum arteriosorum, venosorum & excretoriorum glomeres interjacet; adeoque non in eo consistere scirrhi naturam, quod vasa crudâ, tenaci materie obstructa indurescant, sed potius quod pinguedo uti habet cap. vi. §. 18. in cellulis retenta & congesta lente angeatur, sicque simul comprimantur vasa, quæ quum adeo compressa & conglomerata sint, non nisi tardissime extenduntur, unde tum lentum hujus incrementum; & quia pinguedo impedito aëris accessu incorrupta diu servari potest, ac ubi semel acrimoniam contraxit horrendum foetorem & pessima quævis corpori mala valet inducere, facile reddi potest ratio, cur tam diu innocuus gestari possit Scirrhus, qui postea in Cancrum degenerans ipsa morte sit magis terribilis. Hisce positis facile distinguitur Scirrhus a fungo molliori in sola membrana pinguedinosa hærente, neque vasis ambientibus, ut ea, quæ in glandulis est, adeo compressa: Sarcoma quoque sic dignoscitur,

scitur; quia hoc scirrhus augetur tardius, quoniam cellulosa compressa & coarctata inter glandulae vasa tam subitanea extensio impeditur. Reliquos vero tumores in cryptis vel folliculis glandulosis ampullosos potius vocandos censeo.

§. VIII. Cuncta haec accuratissime descripta & uberius ex ipso fonte petenda, summi certe momenti sunt in practicis, neque aliud forte utilius in Medicina inventum, quam accurata descriptio indolis cujusque morbi, qua tandem pathognomicum habeamus signum, quo quodque malum distinguamus ab altero, sic firmiori talo insisteret indicatio in tractandis morbis intricatioribus. Pace tamen doctissimi viri dixerim, nonnullas mihi videri superesse difficultates, quas exercitii gratia, uti moris est, in dissertatione inaugurali liceat proponere. Et (1) quidem, quod nondum per experimenta ipsius Clariss. Autoris, aut aliorum observata constet, in scirrho semper effusam reperiri pinguedinem in membranam cellulosa. Dissecui glandulam thyreoideam ex cadavere feminae quinquagenariae desumptam, lapidis instar indurata & renitentem, vidiq. effusam in telam cellulosa substantiam albam, copiosam, quam tamen nec fervida in aqua digestio, neque protracta coctio, ullo modo oleosa aut pinguedinosa ostendit. Idem experimentum institui in binis glandulis induratis, inaequalibus, quadruplo quam naturaliter esse solent majoribus ex Mesenterio senis exemptis; in hisce quidem cellulosa materia alba dura admodum extensa, & vasa impervia materiae cereaceae conspiciebantur, nullam tamen pinguedinem ex harum frustis elicere potuit coctio, paucas tantummodo guttas oleosas dederunt affatae in Sartagine ferrea. Uxori cujusdam navatae a pubertate enatus erat parvus tumor in parte dextra anteriori vaginae, durus, quem plures annos sine ullo dolore gestaverat, donec nupta filium peperisset. Paulatim cum tumore tunc increverunt dolores, eoq. magnitudinis pervenit malum, ut non vaginam tantum occluderet, sed & magnam partem extra vulvam prominere. Quarto Septembris A. 1754. petiit consilium Patris mei, qui omnibus consideratis

6 DISSERTATIO CHIRURGICO MEDICA

tumorem Scirrhum pronuntiavit, eumque operatione Chirurgica auferendum, quod & me presente perfecit septimo ejusdem mensis, ita ut vulnere quatuor hebdomadam spatio ad cicatricem perducto, sanissima sine ullo incommodo etiamnum vivat. Dissecui igitur & huncce tumorem, ablatasque e medio quasdam lamellas, assavi in vase porcellaneo supra ignem, neque vel sic minimum pinguedinis reperire potui. Eodem modo examinavi Scirrhum, quem Pater meus 12. Septembris A. 1745. enucleavit e mamma puellæ 20 annorum, quæ 4. Februarii 1746. integre restituta fuit. Neque alium successum habuit experimentum, nullum in hisce vasorum vestigium reperire potui, sed massam ubique æqualem, albam, duram, partesque assatæ lapidis instar induruerunt. Quum vero & Pater meus servaret mammam Carcinomate infectam, quam amputavit 10. Martii 1743. Vulnusque feliciter sanavit 16. Augusti ejusdem anni, & hanc explorandam duxi, neque vel sic pinguedinem ullam detegere potui, quamvis tres libras medicas superaret. In cellulosa tumoribus hisce adhærente pinguedo quædam conspicitur, nulla autem in ipsis tumoribus. Vidi tamen alium tumorem octodecim Unciarum durissimum exulceratum, quem deterrimus hac in urbe Chirurgus G. Bösch presentibus præcipuis hujus civitatis Medicis abstulit Anno 1744. 27. Feb. ex parte interna brachii Uxoris fabri lignarii. Ille dissectus totus quantus pingui erat refertus, coctione, & assatione penitus fere liquefcens, ita ut omnis pinguedo ex macilentissima hacce sæmina in unum tumorem videretur confluisse. Alia de novo experimenta instituire negavit Scirrhorum defectus & temporis ratio. (2) Contusiones ad mammas mulierum, unde toties Scirrhos produci clamat omnis experientia, evincere videntur, ab aliis quoque humoribus in cellulosa, effusis & collectis eisdem posse progigni. (3) Quod si ab effusione & stagnatione humorum in tela cellulosa derivandus sit Scirrhus, ut sæpius fieri adducta, ni fallor, docent observata, videtur idem eadem de causa produci posse, ubicunque adest cellulosa, & vasa copiosissima variis modis inter se decurren-

tia,

tia, earumque partium facilis extensio ambiente vel regente aliqua membrana densiori, aponeurosi, musculo, tendine &c. impeditur. Luculentum hujus indicium præbet Observatio quinta Opusc. Patholog. Cl. Halleri, ubi hæc ejus verba: *In ipso musculo mastoideo fere medio tumorem Scirrhum undique sui similem, album, ovalem, vasculosum, uno verbo ex materia in cellulosa telam musculi effusa compactum reperi.* & Obs. 1. lib. cit. refert Scirrhum Cerebelli, cujus diameter erat unciarum duarum, in quem tota aut corticalis aut medullaris Cerebelli substantia degeneraverat.

§. IX. Videntur ergo quævis fere corporis loca apta esse producendis Scirrhis, inprimis tamen eæ partes, quas glandulosas uno ore dicunt Anatomici; Hoc tamen summopere dolendum est, nullibi reperiri, quantum scio, apud scriptores Medicos aut Chirurgos signum pathognomicum, quo Scirrhum distinguamus ab omni alio tumore duro & indolente non Scirrroso; vel resolubili aut ad suppurationem promovendo. Neque enim sufficit, ut induratus tumor glandulas occupet, quum non omnes glandularum tumores duri & renitentes Scirrhi nomine insigniantur, ut infra patebit; & quoque de glandularum fabrica nimis disputatur inter Medicos, ut certum inde indicium possit desumi. Quid enim de mammis dicendum est? Quid de Hepate, Cerebro? Numne cum Malpighio hæc glandulosa viscera statuenda sunt? an cum Ruischio vasculosa. Quid de Renibus sentiendum est, quos & vasculosos & glandulosos adseruit cum Boerh. inst. Med. §. 353. Cl. Bertin in Act. Acad. Reg. sc. An. 1744. additisque figuris illustravit. Tardum quidem incrementum pessimum præsagium præbet, nam quo tardius increverit tumor eo erit pertinacior magisque pertimescendus, ut notavit Hippocrates, imo putat Cl. Scharp in tract. de Operat. Chirurg. Cap. XXII. quo tardius incrementum sumserit Scirrhus, eo majus adesse periculum, ne operatione peracta repullulet; audivique a Patre meo, sese semper observasse, tardissime crescentes tumores duros & indolentes vix ulla arte ad resolutionem perduc

8 DISSERTATIO CHIRURGICO MEDICA

posse aut suppurationem, sed solo cultro auferendos. Sed & steatomata non raro quoque tardissime crescunt, durissima sunt & maxime renitentia; Hæc tamen a manu perita plerumque distinguuntur sat facile, neque graviter in hisce peccatur per applicata externa, quæ vix aliud efficiunt, quam quod levem inflammationem in cute producant, quum hi tumores sua natura nunquam in Cancrum degenerent, unde certe illud fatendum est solum Grashusium omnium accuratissime rem examinasse, nullosque tumores illis magis pertimescendos, qui a parvo principio in glandulis conglobatis & conglomeratis tarde admodum crescunt, duri fiunt & solidi; quamvis & in aliis quoque corporis partibus pessima toties mala producant vel natura sua in Cancrum degenerantes, vel vitio in 6 rebus non naturalibus, aut imprudenter impositis externis aliave de causa cancrofi penitus fiant, uti mox §. 10. dicitur.

§. X. Quum vero Carcinoma non Antiquis tantum, sed & Recentioribus habeatur Scirrhus quadam de causa malignus factus, satis superque patet, easdem & hicce superesse difficultates. In eo tamen conveniunt omnes, quod ex Scirrho oriatur cancer uti habet Boerhave §. 492. „ Scirrhus ætate, augmenro, motu vicinorum, si movetur ita, ut „ vasa vicina ad margines Scirrhi inflammari incipiant, c. „ vadit malignus, & vocatur jam Cancer a similitudine vel „ Carcinoma”. Hic quamdiu nondum ulceratus est, occultus, ubi vero membranæ ruptæ sunt, & ichor effluit, apertus dicitur, ut supra §. 14. notatum est. Adstruit tamen Cl. van Swieten in Comm. ad §. 496. Cancro omnino simile malum in quibusdam corporis locis nasci, licet nullus Scirrhus præextiterit V. Gr. in labiis, lingua, pene virili, quorum exempla adjungit, qui tumores si a degenerantibus papillis nervosis oriantur distinctionis gratia Canceri fungosi dici possent. id ibid.

Idem adstruit Grashuis, quamvis aliam ejus mutationis rationem adferat, adferit enim Cap. VII. pag. 101. Quævis ulcera non debite curata, maligna posse fieri ac penitus cancrofa,

erosa, ejusque causas exposuit Cap. VI. ubi demonstrare conatur, tam fungi, quam sarcomatis & Canceri sedem esse in membrana cellulosa male affecta, adeoque & in praecipuis hæc convenire.

§. XI. Scirrhus in Cancrum mutatur, ubi dolor accedit initio quidem levis cum prurigne, qui indies magis magisque auctus pungens fit, & quasi urens, tandemque fere intolerabilis, ægrum diu noctuque excrucians horrendum in modum. Interim increfcit durities & asperitudo; color ex naturali fit ruber, nigricans, lividus; venæ supra tumorem & circumquaque decurrentes tumidæ, crasso & atro sanguine conspiciuntur repletæ, hæcque augentur omnia, donec exesis integumentis ichor effluat tenuis, acerrimus, foetoris putridissimi.

§. XII. In assignandis Scirrhi causis quoque tot fere reperiuntur sententiæ, quot capita. Cl. Boerhave §. 392. Veteres quosdam secutus Scirrhum pronuntiat quartum inflammationis exitum, ubi scilicet a materia impacta inertiori & crassiori glandularum folliculi distenti & vasa excretoria obstructa tumorem hunc durum & indolentem producant: Qua in re consentientes habet Neotericorum plurimos, ab aliis tamen omnino rejicitur hæc opinio (vid. Tissot *Verdonkerde Heelkunde* &c. Cap. de Cancro Scharp lib. cit. p. 7. Grashuis lib. cit. Cap. VII. §. 5.) utpote omni experientia contraria: adfirmant etenim nunquam ab inflammatione productum Scirrhum; illos vero tumores, qui in mammis aliisque corporibus partibus prægressa inflammatione relinquuntur, longe alterius esse naturæ, neque unquam in Cancrum degenerare, sed resolutione benigna aut suppuratione postea dissipandos. Magni momenti hæc forent in Practicis, sic enim tuto medicamentis tentari posset curatio glandularum post inflammationem intumescens, ubi plerumque in Scirrhis omnia Medicamenta vel levissime stimulantia canopejus & angue vitanda sunt. Quid de hisce sit sentiendum in re tanti momenti, & ubi tot adsunt summorum virorum testimonia, experientia destitutus determinare non valeo.

10 DISSERTATIO CHIRURGICO MEDICA

Illud tamen addere audeo, si in eo consistat Scirrhi natura, ut supra §. 7. & 8. dictum fuit, quod ab effusione & stagnatione humorum in telam cellulosa[m] gignatur, nihil hunc producendo videri aptius ipsa inflammatione, præsertim si considerentur ea, quæ habet Cl. Hallerus in Opusc. Patholog. Obs. 43. quam lubet huc partim describere. „ In pu-
 „ erpera, quam cruris erysipelas extinxisse videbatur, pri-
 „ mum evidenter, deinde in numerosis aliis cadaveribus, na-
 „ turam inflammationis mihi sum visus me perspexisse. In-
 „ testina flatu insigniter distenta, tota inflammata erant,
 „ non quod vascula sanguine unice distenderentur, sed quod
 „ cruor secundum totam longitudinem arbuscularum vascu-
 „ losarum in cellulositatem effusus lineam obscure ruben-
 „ tem in vasis circumpositam efficeret. Paulum diversæ sunt
 „ aliæ extra vasa effusi humoris species, in quibus in macu-
 „ las late confluit. Tales in vivo homine, cum funesta fe-
 „ bre miliari laboraret, natas vidi. Eadem hæc aliis addu-
 „ ctis exemplis ibidem confirmantur ulterius. Idem innuisse
 „ videtur sæpius laudatus Grashuis Cap. VI. §. 18. hisce verbis.
 „ Siquidem ergo quacunque ex causa humorum pravorum
 „ in corpore congestio stagnationem alicubi in membrana
 „ cellulosa produxerit, mutatio fiet in illa membrana ejus-
 „ que contentis diversa, prout congesta materies hanc illam-
 „ ve a statu naturali degenerationem excitare apta nata fue-
 „ rit. Unde vel inflammatio, vel Oedema, vel sphacelus,
 „ & quæ hujus generis plura sunt, orietur. Si ergo in-
 „ flammetur pars in corpore præsertim cacochymico, sangui-
 „ neo, obeso &c. neque resolvatur aut suppuretur, stagnabunt
 „ in cellulosa humores effusi, lentius aut citius incrementum
 „ pro variis circumstantiis, comprimant vasa intermedia, ade-
 „ oque & Scirrhum perfectum in hisce, in aliis partibus fun-
 „ gum producent: Facile quoque sic ratio reddi poterit, cur
 „ toties oriantur Scirrhi a contusione in mammis mulierum,
 „ imprimis cacochymicarum, mensium obstructione vel alio
 „ morbo laborantium, ut uno ore testantur Observatores.

§. XIII. Nemo tamen a sola inflammatione omnes Scir-
 rhus

rhos produci statuit, sed ab omni causa, quæ valet humores in glandulis aut aliis partibus coagulare, sicque pertinacissimas obstructions producere; vel eorundem in cellulosa stagnationem & lentam coacervationem efficere. Hæ autem causæ, quum admodum multiplices sint, & ubique apud scriptores Medicos occurrant, harumque iusta enodatio vel sola hujus dissertationis limites excederet, potius visum est, præcipuas leviter attingere. Hoc solum notasse sufficiat, varias hic quoque in partes trahi Chirurgos. Lac adeo in coagulationem primum frequentissima Scirrhi causa habetur viris præclarissimis; aliis negatur omnino, hoc unquam illud malum prorulisse. Facilis plerumque tumorum in mammis lactantium per cataplasmata, emplastra leniter stimulantia, gummi ammoniacum in aceto solutum & in emplatri consistentiam denuo inspissatum, pultem ex sapone veneto & lacte dulci & plura similia, resolutio vel suppuratio evincere quidem videtur, alterius passim naturæ hos esse tumores, quam illi Scirrhi, qui postea in cancerum degenerant, solaque forte produci priores a vasorum lactiferorum obstructione, nullo adhucdum in cellulosa humore præter naturaliter effuso: Nullatenus tamen hinc sequitur imprudentiori mammarum frictione ad focum accensum, vel spirituosorum aut adstringentium abusu, aliave de causa vere Scirrhosos fieri non posse hosce tumores.

§. XIV. Contusiones frequenter Scirrhorum generationi ansam præbere supra dictum est; idem de impedito mensium fluxu uno ore testantur observatores, præsertim circa illud tempus, quo fluere omnino desinunt. Huc pertinet vitæ caelebs, anthraces, bubones, Ulcera præmature clausa, partium attritus aut valida compressio, victus ex farinaceis, duris, indigestibilibus, spirituosus, unde tum humores lenti, pituitosi, atrabilarii & multa similia passim apud autores obvia.

§. XV. Causæ Scirrhum in cancerum vel carcinoma mutantem enumerantur omnes illæ, quæ vel humores prius blandos, aciores valent reddere, vel humorum augere in partem

12 DISSERTATIO CHIRURGICO MEDICA

tem Scirrhosam impetum, quales omnes, quæ præcedenti paragrapho enumeratæ sunt, tum & imprimis corporis vel animi motus inordinati, partis Scirrhosæ agitatio, compressio, irritatio per æria calida externe apposita vel interne assumpta; Idem efficiunt emollientia, oleosa, imprudenter applicata, quæ vel ipsa glandularum ulcera toties reddunt canerosa.

§. XVI. Scirrhus quidem per sese innocuus est, potestque in corpore euchymo, si nulla accedat causa irritans in senectutem perferri; Sin vero magnitudine ita increascit, ut lædat functionem partis, cui adhæret, pro vario partis usu varios quoque producet in corpore humano effectus, a magnitudine, soliditate, reliquisque tumoris hujus & partis affectæ indole facile cognita utriusque natura derivandos. Neque hic multum refert, an Scirrhus sit proprie dicendus, an tumor Scirrhoïdes, ampullosus, steatoma, an alio nomine insigniendus videatur, dummodo concurrant cætera. Ubi enim nervos comprimit pro vario compressionis modo nervorum horum usum tollit, adeoque & partium, quibus prospiciunt, motum impedit & sensum, aliasque actiones sistet a nervis derivandas. Arteriæ accretus diminuet primo, tandem delebit omnino ejus cavitatem, unde tum impedito sanguinis transfluxu liquore vitali destituentur partes, si sola hisce prospiciat hæc arteria, sicque immobiles fient & atrophicæ. Per venas impedit refluxum humorum versus cor, unde tum horum stagnatio, accumulatio, partis Oedema, inflammatio, gangræna, sphacelus & infinita alia, quæ cuncta variabunt quam maxime pro varia natura vasis læsi, quod si solum parti prospiciat, ut arteria brachialis brachio, cruralis cruri &c. omnium quoque pessimi ab ejus compressione orientur effectus. Eodem modo asperæ arteriæ insidens respirandi facultatem, Oesophago deglutiendi toties sustulit, cujus non nisi cum horrore & summo dolore recordor, quum omnia apparuerint expertissimis & Celebrerrimis Medicis D. van Leempoel & Stook indicia, non alia de causa, damno nunquam resarciendo carissimam mihi Matrem

trem anno elapso eripuisse mortem atram, quam induratione Glandularum Oesophagi omnem impediendum deglutiendi functionem. Sic utero & vaginæ infixus toties sterilitatem, intestinis volvulum, hepatis icterum, musculis immobilitatem, aliisque partibus alia mala intulit, ex cognitis harum usu & fabrica & ubique occurrentium Medicorum & Chirurgicorum observatis cognoscenda; quorum ut Recentiores & Acta Publica raceam, vel integrum librum suppediant Schenckii Observationes Medicæ & Boneti sepulchretum Anatomicum.

§. XVII. Prognosis ergo in Scirrho desumenda est ab ejus magnitudine, incremento, insensibilitate, conditione partis, cui inhaeret, crassi humorum, vitæ victusque genere & aliis circumstantiis mox enarratis: sæpius enim glandulæ submaxillares, Parotides, Thyreoidea tota vita gestantur Scirrhosæ sine alia functionum læsione, quam ipsius glandulæ, & difformitate ab aucta magnitudine producta: ubi contra parva initio mammarum tubercula, sensim aucta & vitio in sex rebus non naturalibus irritata, præsertim cessante consueto catameniorum fluxu irritata, horrendam toties tragædiam ludunt. Sic quoque ubi plures simul in corpore reperiuntur glandulæ Scirrhosæ, pessimam dabunt prognosin, indicant enim toti humorum massæ inesse eam indolem, quæ Scirrhosas partium indurationes efficiat, unde semper metus est ne simili malo adsiciantur corporis interiora; præsertim quum doceant observata, si hoc in casu cultro auferatur Scirrhus, eo citius hunc aliis in locis repullulare. Eandem ob causam minus quoque periculosus haberi solet Scirrhus, cæteris paribus, qui a compressione, contusione, vel aliâ causâ externâ ortum ducit.

§. XVIII. Cancer vero non ea tantum, quæ Scirrhus in corpore humano mala producit, sed & ichore suo omnia depascente, & vel ipsa lintheamina corrorente, vicinas partes inficit, corrodit; unde tum toties dolores vix ferendi, convulsiones, animi deliquia & lethales hæmorrhagiæ; in aliis febris lenta & totius corporis emaciatio, factorque exoritur a-

14 DISSERTATIO CHIRURGICO MEDICA

deo horrendus, ut non adstantibus tantum intolerabilis sit, sed nonnunquam tota vita e naribus expelli non potuerit, uti aliquot exempla adduxit, G. Harris in dissert. X. Differunt tamen hæc maxime pro variis circumstantiis, occultus enim debito vitæ regimine & medicamentis palliatis nonnunquam ita sedatur, ut ad mortem usque sine magno incommodo gestetur, non tamen sine metu æterno, quum impossibile sit homini ea vitare omnia, quæ toties hoc malum exasperare visa sunt, ipsaque tristitia & metus continuus, quibus hoc malo infectæ adfliguntur, non parum quoque ad ejus exacerbationem conferant.

§. XIX. Qui vero interiora corporis obsident Scirrhi & Carcinomata, non tantum, quæ dictæ sunt, ærumnarum cumulum in corpore excitant, sed & eo plerumque peiores haberi solent, quod vel nunquam vel difficillime saltem cognoscantur, dum hi tumores externi oculis & digitis nostris expositi tantam toties difficultatem pariunt. Hic ergo certa & indubitata omnino signa non dantur, adeoque concludendum est ex natura partis, ejusque functione læsa, pondere insolito in loco affecto percepto, constitutione Scirrhusa & ætate ægri, doloribus pertinacissimis & humoribus e loco affecto effluentibus, aliisque circumstantiis, quas breviter exposuit Nob. Cl. van Swieten Comm. ad §. 487. & de Haen in tractatu de deglutitione &c.

§. XX. Quum Medici scopus sit, non tantum morbos præfentes tollere, sed & futuros avertere, vel si neutrum horum valeat efficere, ut ea tantum mitiget symptomata, quæ ægrum maxime soleant infestare; hinc uti in aliis morbis, sic & in hocce quoque triplex oriri solet indicatio, Præservatoria scilicet, Palliativa vel Mitigatoria & Curativa dicta.

§. XXI. Cunctis quidem in morbis observandum est tritum proverbium *Principiis obsta*, hoc vero vix unquam melius convenit, quam in Scirrhis & Cancris, qui omnem plerumque medelam respuunt, ubi per longas moras invaluerunt; raro tamen Medici auxilium imploratur, nisi altiores prius radices malum egerit, in pessimis saltem Scirrhis, qui in locis

cis

cis glandulosis a parvo admodum principio orti & indolentes vix observantur ab ægris, & quia dolorem non inferunt contemnuntur. Hinc raro, sin unquam, institui potest curatio Præservatoria, nisi forte cognoscat Medicus cuidam Familiæ hæreditarium esse morbum, cujus exemplum ex ore Boerhavii adfert van Swieten Comm. ad §. 485. pag. 855. In illis certe cane pejus & angue vitanda sunt omnia, quæ unquam Scirrhum produxisse observata sunt; illaque e contra exhibenda, quæ Scirrhosam sanguinis reliquorumque humorum diathesis amovere quam maxime docuit experientia. Huc imprimis spectant venæ sectiones debito tempore & copia institutæ, diluentia, saponacea, resolventia simplicissima, ut hydrogala, serum lactis, lac ebutyratum, quibus simplicissimis remediis alios vitam egisse tolerabiliorem, alios integræ sanitati fuisse restitutos, qui inchoante malo his diu & copiose fuissent usi, observavit Cl. de Haen in tractatu modo citato pag. 50. Hæc ergo ubi jam prima apparuerunt mali indicia, vel quum jam ad eam fere ætatem pervenerunt, qua funestum hoc tali Familiæ malum suspicatur primas radices emittere, magna copia exhibenda sunt, quibus innumera alia ex classe resolventium possunt adjungi. Aqua picis naturalis & aquæ minerales hic quoque egregie videntur convenire. Nec quoque hic infimum locum meretur mercurius dulcis parva admodum copia exhibitus & alia mox dicenda. Quæ si jam præsentibus valent Scirrhos dissolvere, tanto magis videntur imminentes posse avertere. In diæta non tantum vitanda sunt omnia, quæ stimulant, vel acrimoniam sanguini aut tenacitatem inducunt, sed talia adsumenda, quæ facilis concoctionis causæ morbificæ maxime contraria, humores blandos ac circulationi per omnia vasa præ reliquis aptos reddunt.

§. XXII. Indicatio Palliativa locum habet (1) in Scirrho, (2) in Cancro occulto & (3) in Cancro aperto. In Scirrho quidem omni statim molimine conandum est, ut tollatur causa premens vel atterens, & superveniens aliqua de causa inflammatio sedetur quantocius. Illud autem absolvitur omni-

nibus remediis antiphlogisticis dictis, venæ sectione, aliis; que; inprimis partem lenissime fovendo aceto tepesfacto, cui pro re nata addi potest acetum Lithargyrii, aut saturni Saccharum. Eundem in finem inungitur parti adfectæ unguentum nutritum, vel Emplastrum ex hoc unguento & smaltho confectum imponitur. Interim ea omnia inprimis hicce vitari debent, quæ fortius solent humores exagitare, ut vomitoria vel purgantia fortiora, & cuncta ea, quæ supra dicta sunt Scirrhum in Cancrum mutare; hæcque omnia eo majori cum cautela observanda sunt, quo magis pars Scirrhusa in Cancrum prona est: docent enim observationes Medicæ Mammarum, labiorum & oris Scirrhus inprimis exacerbari in Carcinomata, ubi Paroridum, glandularum inguinalium, aliarumque partium Scirrhi sæpe tota vita gestantur incolumes.

§. XXIII. Ubi Cancri occulti jam adsunt indicia, non ea tantum, quæ modo dicta, summa cum cura exequenda sunt, sed & præterea symptomata omni molimine mitiganda, ne iis irritata in Cancrum apertum erumpat. Hæc autem symptomata inprimis enumerantur pruritus, calor & dolor; qui, quum diversas rursus causas, ut ex præcedentibus patet, agnoscant, hæc protinus, quantum in Medico est, removendæ; dein quies parti concilianda, sopiendo animi pathemata & abstinendo a motu partis. Sic ubi mamma infecta est, istius lateris brachium immobile retinendum est, quum motus musculi Pectoralis valide in hoc casu mammam plerumque afficiat. Huc ergo faciunt blanda diluentia, aperientia, levissime narcotica; tum & lenia purgantia ex rhabarbaro, fenæ foliis, Cassia, tamarindis, addita parva mercurii dulcis dosi, quæ repetitis vicibus, ne valide moveant, exhibentur: sin nihilominus hinc stimulus ortus sit vel levissimus, ille operatione peracta exhibito opiato sedatur. Externe laudantur ea, quæ præcedenti paragrapho dicta sunt, tum & cataplasmata ex foliis papaveris, solani, aliisque narcoticis; Emplastrum diapompholygos & similia, quibus non tantum leniantur dolores, sed & partes defendantur ab omni injuria externa.

§. XXIV.

§. XXIV. In cancro exulcerato dolores sævissimi & foetor horrendus inprimis Medicamenta palliativa exigunt; unde ea rursum omni modo vitanda; quæ vel humorum impetum vel eorum acredinem augent; tum & dolores quantum possibile est, sopiendi & putredini resistendum est. Hunc in finem liber exitus ichori semper conciliandus, ne partes vicinas magis corrodat; sed quia liber aëris accessus observatur putredinem magis augere, hinc ter quaterve de die ulcus implere solent Chirurgi mollissimis plumaceolis, unguento quodam saturnino tepesfacto leviter obductis, ne ulceri adhæreant, & hisce effluens virus resorbeatur; Interim arcetur aër Emplastro Cæruleo vel simili variis in locis perforato, quo ichor libere possit effluere. Tum ad dolores sopiendos & putredinem arcendam varia commendari solent inprimis fomenta ex saturninis, levissime acidis, & narcoticis, uti infusum foliorum solani, hyosciami, Cynoglossæ, quibus additur una vigesima pars aceti, vel paucae guttæ spiritus salis marini, ut nullam acrimoniam habeat. Alii solum Lithargyrii acetum decuplo aquæ dilutum reliquis præferunt, cui tum granum unum alterumve opii admiscunt. Alii oleum mirrhæ per deliquium, aquam calcis, decoctum Marrubii, Agrimonie, & multa alia commendant, ubique in scriptis Medicis & Chirurgicis obvia. Interim omnino abstinendum docent uno ore Observatores ab omnibus pinguibus, resinosis, acribus, quæ protinus malum horrendum in modum exacerbant.

§. XXV. Curatio tam Scirrhi quam Carcinomatis petitur ex Pharmaceuticis & Chirurgicis; Quum vero Scirrhus ita facile irritetur & Canerosus fiat, solam hujus resolutionem tentare solent Chirurgi in certis tantummodo casibus, postquam rite semper examinaverint, an ratio dicat, resolutiva tentanda esse remedia? an vero relinquendus, aut potius operatione Chirurgica auferendus sit Scirrhus? „ Scirrhum, „ si recens, benignus, loco idoneo situs, nondum perfectus, in homine euchymo, tentandum emolliente, „ resolvente medela”. ait Boerhave §. 490. N. 1. docentque observationes hunc sæpius felici cum successu resolutum.

18 DISSERTATIO CHIRURGICO MEDICA

Vix tamen dubitat Grashusius lib. cit. Cap. VII. pag. 94. quin Scirrhus verus sua natura sit irresolubilis, additque adlatas conditiones videri incerti & fluctuantis animi indicia, illosque Scirrhos resolutos potius fuisse indurationes ab inflammatione prægressa, vel scrofulam seu strumam, aliumvetumorem similem. Certe ubi humores jam effusi sunt in rellam cellulofam, ibique condensati vel coagulati, simulque vasa penitus obstrueta, tunc a priori vix ulla resolutionis spes superesse videtur. An vero hæc ita in Scirrho recenti obtineant, nondum constitit per experimenta. Optandum ergo foret, ut quivis Chirurgus Scirrhos operatione Chirurgica ablatos examinaret, detectamque indolem actis publicis communicaret. Qui tum & ea detegeret signa, quibus cognoscamus, an primo a sola vasorum obstructione, an potius ab humorum effusione ortus Scirrhus resolubilis sit nec ne, ille certe optime mereretur de Medicina, & de toto genere humano: donec ergo hæc fuerint detecta, recitata modo conditiones ubi adsunt, tuto tentari posse resolutionem crediderim.

§. XXVI. Hæc autem resolutio promovenda externis & internis. Externè laudantur imprimis mercurialia prudenter parva copia tumori levi frictioni aut in Emplastro apposita; tum vapores aceti interpositis laxantibus tepidi subinde admoti. Gummi ferulacea aceto dissoluta, ut Galbanum, Ammoniacum, Sagapenum. Tum & Cataplasmata ex levissime aromaticis, aceto, gummi, aliisque parata apud Heisterum aliosque scriptores Chirurgicos passim inventiunda. Internè dantur resolventia, lenia salina, nitrosa, diluentia, saponacea, gummi modo dicta, aquæ minerales, aliaque, quibus omnibus palmam præripere videtur mercurius dulcis; Hunc enim prudenter exhibitum, ut salivationem non excitet, felicissimo sæpius cum successu datum perhibent Observationes, quod & sequens casus mihi communicatus ab amico conjunctissimo D. Jacobo van Rosendael Medicinæ Doctore confirmat. Anni præcedentis die 18 mensis Maji accessit cum Chirurgo H. van Loenen Rustica quinquagenaria conquere-

rens de tumore indurato mammæ dextræ, qui examinatus occupabat eam mammæ partem, quæ a latere externo superiori papillæ est, durus admodum & nodosus, mobilis cum mammæ parte, cui erat infixus, neque ulli parti inferius, quantum detegi poterat adhærens. Ejus diameter sesquipollicem superabat; & altera mamma integra erat, neque ullum vitium in reliquis glandulis potuit detegi. Fæmina hæc robusta & sanguinea, cui menses adhuc debito tempore fluebant & copia ad propositas Medici quæstiones dixit, duos modo annos elapsos esse, quum lorica, qualem gestare solent fæminæ, angustiori mammam premente primo dolorem, dein tuberculum ciceris habens magnitudinem detexisset, quod paulatim auctum ad eam jam molem pervenerat, semperque fuisse indolens, nisi quod nunc ab aliquo tempore, dolores subinde lancinantes sentiret, quibus perterrita duos Amstelodamenses Chirurgos consuluerat, & nonnullos Medicos, quorum unanimis fuerat responsio, cultro auferendum esse tumorem, ne brevi degeneraret in cancrum. Quum vero & Medicus & Chirurgus dicerent, melius ipsi consilium dari non potuisse, lacrymis & precibus eos adduxit, ut prius periculum facerent, num medicamentis posset sanari. His commoti concluderunt hic tuto tentari posse resolutionem, ea lege, ut si malum exasperaretur, statim operationem permitteret. Præmissa ergo venæ sectione & leviori purgante, injunctaque diætâ præprimis lactea, tectus est Scirrhus emplastro resolvente ex gummi & herbis digerentibus dictis & emollientibus, præscripsitque Medicus XIV. pilulas ex totidem granis mercurii dulcis & sapone veneto, quarum unam assumpsit singulis diebus ante somnum. Primo Junii examinatus tumor in eodem statu deprehensus est, sed dolores minores & minus frequentes fuerant, unde eadem continuata. Decimo ejusdem mensis longè mollior apparuit & quoque diminutus. Sexto Julii ubique mollis erat & longè minor. Vigesimo quarto Augusti & tumor disparuerat omnino & omnis induratio. Toto interim tempore pilulæ eadem, idemque Emplastrum iteratæ fuerant. Undecimo Octobris mam-

ma rursus examinata ne minimum quidem monstrabat Scirrhi vestigium. Jussit Medicus, ut adhuc per mensem continuaret pilulas, ita tamen ut alternis tantummodo diebus unam adsumeret, sicque sanata adhuc hodie dum vivit læta-bunda sine ullo tumore Scirrroso. Similem fere, in recentissimo malo effectum ab usu æthiopis mineralis habuit Celeberrimus Oosterdyk, hujus Academiæ decus non infimum.

§. XXVII. Cancro exulcerato, sola operatione Chirurgica, ubi institui poterat, medendum fuisse, satis superque docuit notissima historia Annæ Austriacæ Matris Ludovici XIV. Galliarum Regis citata ab Heistero Chirurg. p. 1. lib. 4. Cap. 17. §. 7. donec immenso humani generis bono non tantum Corticis Peruviani, sed nuperrime nunc Belladonnæ in sanando Carcinomate vires detectæ sint, jamque orbi literato communicatæ in oratione inaugurali a Cl. viro Lambergen, quæ quum maximam partem inserta sit Part. 2. Vol. 4. Comment. de rebus gestis in Medicina, quod omnium manibus versatur, non est quod huc transcribam. Faxit Deus T. O. M. ut Medentium vota ulterius expleat, tunc duram certe Operationem Chirurgicam tam Scirrhi, quam Carcinomatis nemo subibit facile. Hæc autem operatio quibusnam in casibus & quomodo institui debeat, ex Chirurgicis est petendum.

Hæc ea sunt B. L. quæ ut Legibus Academicis facerem satis, conscribere erat animus; multa equidem, lubens fateor, addi potuissent & debuissent, sed alia omisi studio, quorum enodationem provectoribus, & in arte exercitatis viris relinquendam censui; alia, ne præfixos limites excederet hæc dissertatio, breviter tantum attingi, & alia denique, quæ forte non pauca sunt, juveniles adhuc dum annos latent.

F I N I S.

COROLLARIA.

I.

Medicamentum universale non datur.

II.

*Omnem Urinam Vesicam urinariam per
Ureteres intrare omnino statuo.*

III.

*Vulnera in Cerebrum usque penetrantia
non sunt absolute lethalia.*

IV.

Dantur Clysteres nutrientes.

V.

*In morbis inflammatoriis Purgantia vi-
tanda sunt fortiora.*

VI.

*Aqua Medicamentorum diluentium ba-
sis est.*

ERUDITISSIMO AC PRÆSTANTISSIMO

JUVENI

JOANNI CHRYSOSTOMO GRAM,

Medicorum numero conscripto.

Jamne filere licet mihi, quum charissime GRAMME
Jus fas in jungunt, officiumque jubet,
Debitum ut exhibeam per tot feliciter annos
Excultæ nobis pignus amicitiae.
Scilicet emicuit, quam nos optavimusambo
Conjunctis animis, illa serena dies,
Illa dies merito, qua lauro magnus Apollo
Cingere vult viridi tempora docta tua,
Hippocratesque senex ævo memorabilis omni
Castra sequi sacro te jubet ore sua.

Quid

Quid laudes memorem noctesque diesque labores
Impensos, fatis hæc scripta perita docent.

Non mihi mens blando te ludere carmine, neve

More poetarum fingere multa libet.

Hoc solum cordi est, tenui tibi plaudere versu

Quem non fucatus concinit unus amor.

Jam pete Cognatos studiis hic rite peractis

Te vocat in patriam chara Corinna tuam.

Carpite vos fructus studiorum, vivite lætos,

Dum vos jungit amor, Nestoreosque dies.

Apprecor ulterius semper tua vota secundet

Cuncta supercilio qui regit astra suo.

J. EGELING.

Med. Stud.

GRILL HEDGES
IMPORTED
KURETURANDO AFFECTIONIS

JOHN DAVID'S HAHN
To receive the
GRADUATE FACULTY
DAN-TO PRO GRADUATE
SUSANNE IN LITTORE LUTHER

CHRISTIANUS FREDERICUS STUTIN
VENDO A CILIBER-BATAT



TRAJECT AD RHODAN
EX OMNIBUS LITTORE LUTHER

Boekbind. rij
Oelers
Valkenburg

